

non otiose testificatus est, sed quo magis Plancius ornaretur, quem familiariter ille dilexerit. Et quoniam Torquatus idem praesens non erat, in eius patrualem conferendam putavit vicem testimonii, ut perinde haberetur atque si adesset is, cuius validior esset auctoritas. 5

Fuit in Creta postea contubernalis Saturnini, propinqui sui, miles huius Q. Metelli.

Gratosum fuisse videri poterat, si adseveraret eum Saturnino, propinquo suo, placuisse: maluit ad iudicium Q. Metelli confugere, ut vere cognitis virtutibus Planci existimaverit adolescentem per omnia spectatissimum. Significat autem Q. Metellum, qui Creticus cognominatus est bello apud Cretam feliciter gesto. Omnia haec sunt ...

§ 28. Tr. pl. fuit non fortasse tam vehemens quam isti, quos tu iure laudas, sed certe talis, quales si omnes semper fuissent, numquam desideratus vehemens esset tribunus. 15

Nihil egerat in tribunatu suo Plancius aliqua praestanti laude dignissimum, quin immo etiam videbatur hac potestate segnius functus. Quoniam nullas ergo virtutes eminentissimas habuit, quas de illo praedicaret, idcirco aliquid ei volens acquirere ad suspicionem ignaviae repellendam *non tam vehemens*, inquit, *tribunus fuit quam ceteri*, et vivaciter conclusit: *quales si omnes semper fuissent, numquam desideratus vehemens esset tribunus* id 25 volens intellegi, per seditiosos et turbulentissimos ...

(Desunt IV paginae.)

§ 31. ... hoc factum est ... nec videlicet, quod saepius iterat valde inpiam Laterensis propositionem, qui candidato plus inpedimenti ex persona patris esse debuisse dixerit quam favoris pro religione naturae. Quod autem

